





33 296.

DE CODICIL-  
LIS ET CLAUSULA  
CODICILLARI,

*Disputatio VI. & postrema: 1621, 1.*

Continens ea quæ Codicillis & Codicillari  
clausulæ affinia aut contraria sunt.

*Quam,*

Auspicio SS. TRINITATIS,

*In inclytâ ARGENTORATENSIVM*  
*Academiâ,*

Sub præsidio

CASPARI BITSCHII, J. U.  
DOCTORIS ET PANDECTARUM  
PROFESSORIS,

*Publicè defendendam*

*suscipit*

DANIEL HAMMERER  
ARGENTORATENSIS,

*Mense Junio.*

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS CAROLI,

M. DC. XXI.



095

AMPLISSIMO, PRUDENTIS-  
simo, insigni rerum usu atq̄ experien-  
tiâ gravissimo Viro,

Dn. JOANNI HELLERO, Inclytæ Reipublicæ patriæ  
TREDECIMVIRO honoratissimo:

*Necnon*

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXCEL-  
LENTISSIMIS, atq̄ CLARISSIMIS  
*Viris,*

Dn. JUSTO MEIERO, J.U.D. & in Universitate Ar-  
gentoratensium ANTECESSORI primario:

Dn. GEORGIO-DAVIDI LOCAMERO, J.U.D.  
& in eadem Academiâ Professore solertissimo:

Dn. M. MATTHIÆ BERNEGGERO, Historiarum  
ibidem Professore celeberrimo:

*Ut &*

HUMANISSIMO atq̄ DOCTISSIMO  
*Viro*

Dn. M. JOANNI PAULO CRUSIO, Præceptori  
Classico primario, & Poëtæ Laureato Cæsareo:

*Patronis, Promotoribus, Fautoribus, ac Præceptoribus  
meis, amore & observantiâ perpetuâ colendis;*

*Hanc de Codicillis & Clausula Codicillari  
disputationem*

*Inscribo & dedico*

DANIEL HAMMERER,  
ARGENTORATENSIS.

DE CODICILLIS ET CLAUSULA CODICILLARI,

DISPUTATIO VI:

*eademq; postrema.*

THESIS I.



Perficiendo systemati tractationis de Codicillis & Clausula codicillari quinque disputationibus antehac propositæ, desunt adhuc, ex vulgari receptâquè methodo duo capita: quorum altero, Codicillorum & Clausulæ codicillaris Cognata sive Affinia; altero verò Contraria sive Repugnantia explicanda sunt: ut ita & quæ similitudinem quandam cum Codicillis ac Clausulâ codicillari habent, & quæ illos aut hanc infirmant, cognoscatur. Quorum utrumq; hâc disputatione, DEO favente, præstabitur.

2. Cognata Codicillis præcipuè sunt Testamentum & Donatio mortis causâ.

3. Testamentum adeo cognatum Codicillis est; ut non tantum vicem testamenti exhibere dicantur codicilli. *l. 16. ff. de jur. cod.* sed etiam tota definitio Testamenti Modestiniana in *l. 1. ff. qui test. fac. poss. codicillis* competere videatur.

4. Differt autem à Codicillis formâ tum intrinsecâ; (ut sic compendij causâ loquamur) tum extrinsecâ.

5. Intrinsecâ: quòd Testamentum est sententia de omni seu universo eo quod quis post mortem suam fieri vult; adeoq; vel maximè hereditatis datio. *disput. 1. 0. 7 & 9.* Codicilli autem sunt sententia de eo quod quis fieri vult postquam aliquis sibi heres factus est. *disp. 1. 0. 8. & disp. 3. 0. 15.*

6. Extrinsecâ: quòd Testamentum exquisitè dictam ordinationis solennitatem desiderat; Codicilli verò minimè. *§. ult. Inst. de Cod.* Et imprimis quòd Testamentum septem testium præsentiam re-

A 2

quirit:

799  
quirit: at Codicilli quinario testium numero contenti sunt. *l. ult. §. ult. C. eod. tit. l. 1. §. 1. & 2. C. de Lat. libert. toll.*

7. Donatio mortis causâ cognationem cum Codicillis habet ratione formæ, tum intrinsecæ, tum extrinsecæ. Nam & ipsa quoq; non est sententia de **omni eo quod quis post mortem suam fieri velit**; sed tantum de eo quod quis fieri velit postquam aliquis sibi heres factus est: & non septenarium, sed duntaxat quinarium testium numerum desiderat. *l. ult. C. de Donatione mortis causâ. l. ult. §. ult. C. de Codicill.*

8. Eadem tamen à Codicillis differt Genere. Etsi enim Donatio mortis causâ omnes effectus ultimæ liberalitatis habere iussa est. *l. ult. C. de donat. mort. causâ.* ut ad exemplum Legati redacta sit per omnia. *§. 1. Inst. de Don. sive per omnia ferè Legato connumeretur. Ibid.* imò legatum sit, ut loquitur *Nov. 87. in pr.* non est tamen ultimæ voluntatis species propriè & *συνανύμως* dicta: sed tantum *καὶ ἀναλογίαν*. Ultima enim voluntas solius disponentis arbitrio & voluntate absolvitur. *arg. l. 1. in Verbo nostræ & Verbo quod quis fieri velit; ff. qui test. fac. pos. l. 32. ff. de her. inst. l. 20. ff. de V. S.* At Donatio mortis causâ non absolvitur solius donantis arbitrio & voluntate; sed, ut substantiam capiat, ipsius quoq; donatarij acceptione aut assensum requirit. *arg. l. 55. ff. de Obl. & Act. l. 18. ff. de reb. cred. l. 10. ff. de donat. Cic. in topicis. junctâ. l. 2. de Mort. caus. donat. & arg. l. 35. §. 3. ff. d. t. l. 19. ff. de reb. cred. junctâ l. 1. §. 3. ff. de pactis.* Unde etiam filiusf. patre permittente mortis causâ donare potest. *l. 25. §. 1. ff. de mort. cau. donat.* licet non magis cum, quàm sine patris voluntate, testamentum facere possit. *d. loco. aut codicillos. l. 6 §. 3. l. 8. §. 2. ff. de jur. Cod.*

9. Occurrit etiam in libris Juris nostri Epistola fideicommissaria. *l. 37. §. 3. ff. de Legatis 3. l. 7. C. qui test. fac. pos.* quæ & absolutè ac sine adjectione Epistola nominatur. *l. 75. in pr. l. 77. §. 26. l. ult. in pr. ff. de leg. 2. l. 78. §. 1. ff. de leg. 3. l. 30. §. ult. ff. de adim. leg. l. 75. in pr. ff. ad SCtum Trebel. l. 22. C. de fideic. & Literæ d. l. 77. §. 26. de leg. 2. & l. 1. C. de Codicil.* Hæc quoque affinis sive cognata videtur esse Codicillorum. Nam & à codicillis separatur Epistola, in *l. 7. C. qui test. fac. pos.* (sicut & literæ à codicillis separatur. in *l. penult. §. ult. ff. de bon. pos. secund. tab.* & Epistolæ à libello in *l. 22. C. de fideic.*) & vice codicillorum esse dicitur. *l. 30. §. ult. ff. de adim. leg. & imitatio Codicilli. l. un. §. 1. C. de Lat. lib. tol.*

10. Sed

10. Sed tamen rectius dici videtur, Epistolam fideicommissariam non aliquid cognatum sive affine codicillis, adeoque ab his diversum, esse: sed sub appellatione Codicillorum, ut speciem, comprehendi: nomen speciale sortitam à formâ extrinsecâ accidentali. Nam & quæ in *d. l. 7. C. qui test. fac. pos.* codicillis opponitur Epistola fideicommissaria, ea Codicillorum appellatione comprehenditur à Symmacho *lib. 2. Epist. 13.* & quod in *l. ult. de leg. 2.* dicitur Epistola, & in *d. l. 1. C. de Codicil.* Literæ; id ipsum quoque Codicillus esse ibidem significatur: quod etiam à contrario sensu colligitur in *l. 17. ff. de jur. cod.* quæ verò in *d. l. un. C. de Lat. lib. tol.* dicitur imitatio codicilli; ea non est Epistola fideicommissaria, sed Epistola quâ libertas datur: quæ regulariter non est ultimæ voluntatis species: sed ei opponitur, in *§. 1. Inst. de Libertin.* eademq; rectius appellata fuisset imitatio Epistolæ fideicommissariæ; si hæc diversa à codicillis species esset.

11. Codicillis etiam cognata est, (si non, quod nos putamus, species quædam anomala Codicillorum, potius dici debet) nuda illa rogatio heredis; de quâ in *l. ult. C. de fideic. & §. ult. Inst. de fideicom. hered.*

12. Deniq; Codicillis affines sunt, illæ infelici partu natæ, & intempestivâ misericordiâ nutritæ, schedæ testamētis impositæ; quas, eo modo ut vulgò fiunt, admittere, nec justum est, *arg. l. ult. §. ult. C. de Codic. nec æquum. arg. l. 24. in fin. de test. milit. §. 1. in fin. Inst. eod. tit.*

13. Inter ea quæ Clausulæ Codicillari cognata sive affinia sunt, referimus I. Cautionem eam (quam clausulam fideicommissi vocat Antonius Faber) quâ quis testamentum suum quod ex quacunq; causâ non valet, confirmat, & servari jubet: adeoq; id simpliciter & absolutè codicillorum vim obtinere vult. Idq; duobus modis: altero; ut testamentaria dispositio ab intestato sustineatur, sive in vim codicillorum ab intestato factorum valeat: exemplo *l. 1. C. de cod. h. t. & l. 2. §. ult. ff. eod. tit.* altero; ut dispositio illa ex causa testati valeat, & vim codicillorum ad testamentum factorum habeat; exemplo *l. 12. §. 1. ff. de injust. rup. l. 29. ff. ad S. C. t. Trebel. §. 3. in fin. Inst. quib. mod. test. infirm. d. l. 19. in pr. ff. de test. mil.*

14. Convenit hæc cum Clausula Codicillari; tum in eo,

A 3 quod

802  
quodd testamentariam dispositionem ( seu totam , seu pro parte : ad  
quam posteriorem speciem referimus l. 29. vers. & hoc ita intelligendum  
est. ff. ad Sctum Trebel. & l. 19. §. 1. vers. nisi aliud. ff. de test. milit. ut non  
necesse sit versiculos istos pro supposititijs & inceptis habere, cum  
Antonio Fabro lib. 5. coniect. jur. c. 19. & in tract. de Error. Interpp. &  
pragmaticorum decad. 7. Error. 3. ) in codicillarem convertat ; sive tan-  
quam in codicillis scriptam, valere faciat : tum quodd quinarium te-  
stium numerum exigit : ut Dd. communiter in d. l. 1. Cod. de Codicillis  
notant.

15. Differt autem ab illâ in eo ; quodd hæc purè & absolutè  
Codicillaris autem tantum sub conditione, testamentum in codi-  
cillos convertit : adeo ut Clausulæ fideicommissi hic ferè sensus sit ;  
**QUIA** testamentum non valet jure Testamenti, valeat ju-  
re Codicillorum : Clausulæ verò codicillaris sensus sit iste ; **SI**  
testamentum non valet jure Testamenti, valeat jure Co-  
dicillorum.

16. II. Huc referimus Clausulam eam, quam vulgò ap-  
pellant **omni meliore modo** : & plenius ita describunt, **VOLO**  
**hoc testamentum** ( hujus enim respectu Clausulam istam hic  
consideramus : cum aliâs etiam in contractibus, & libellis, adhibea-  
tur ) **Valere omni meliore modo quo poterit** : & plenissimè ;  
si hæc mea dispositio non valet jure testamenti, valeat  
**omni meliore viâ, modo, & forma, quibus de jure melius**  
**valere potest & debet.** Quam desumpserunt Dd. ex l. 29. §. 1. ff.  
qui test. fac. poss. ubi talem formulam Græcam refert Ictus Paulus τὴν  
τὴν τὴν διαθήκην βούλομαι εἶναι κρείων ἐπὶ πάσης ἐξουσίας.

17. Cæterum convenit cum Clausula Codicillari, hæc quæ  
**omni meliore modo** dicitur Clausula : quodd non minus ac illa  
Testamentum sub conditione ( sive expressâ sive tacitâ ) si id jure  
testamenti valere non possit, in Codicillos convertat.

18. Differre autem putatur ab eâdem, ratione Effectus. Quem  
quidem minorem ei assignat Antonius Faber ; quasi solum jure te-  
stamenti ; non etiam jure Codicillorum, & ab intestato, dispositio-  
nem testamentariam sustinere possit. At Dd. communiter longè  
majorem virtutem eidem attribuunt ; veluti quodd testamentariam  
dispositionem non tantum in vim codicillorum sustineat : sed etiam  
ut do.



ut donationem mortis causâ: si forsan filius permittente patre suo testatus sit: imò etiam in vim testamenti: supplendo defectum institutionis, si forsan filio aliquid relictum sit sine institutionis titulo: itemq; efficiendo, ut tanquam Testamentum nuncupativum valeat id, quod ut solenne in scriptis valere nequit. quibus addi etiam potest, quòd Clausula hæc non patiatur restrictionem eam quam in codicillari, ex præsentis temporis verbo adhibito, notant *Dd. de quâ supra disp. 3. §. 23. & disp. 5. §. 16. & seqq.*

19. Nos, latiore quidem, aut certè expeditiore, interpretationem esse agnoscimus hujus formulæ, **VOLO testamentum hoc valere omni meliore modo**; quàm illius **VOLO testamētum hoc valere etiam in vim Codicillorum**: Non tamen proptereâ hanc clausulam ab omni clausulâ codicillari diversam, sed ejus in genere acceptæ speciem, esse existimamus. *vid. disp. 2. §. 17.* quoad cætera verò, falsum esse dicimus; quòd clausula **omni meliore modo** suppleat defectum institutionis heredum: juri **inco-**gnitum; quòd testamentum nuncupativum subsistat, etiam si heres non palàm coràm septē testibus à Testatore nuncupetur: **erroneū**; quòd, cum omnia testamenti nuncupativi requisita observata sunt, cautione tamen aliquâ expressâ, & quidem efficaciore quàm sit clausula codicillaris, opus sit; ut id prò testamento nuncupativo haberi queat: **commentitium**; quòd in formulâ clausulæ codicillaris verba præsentis aut futuri temporis, eo modo captanda sint.

20. Tertiò; clausula ea, quâ testamentum valere jubetur **jure cujuscunquē ultimæ voluntatis**, codicillari clausulæ affinis esse dicitur. de quâ Nos idem omninò sentimus quod de clausulâ **omni meliore modo**.

21. Quartò; idem quoque judicium esto de clausulâ illâ; **si non valet jure testamenti, valeat jure codicillorum aut donationis mortis causâ**.

22. Quintò; Inter Cognata sive Affinia clausulæ codicillaris *Dd.* etiam referunt **Juramentum**: si videlicet Testator juraverit vel in testamento juramentū suū apposuerit; se velle observari omnia quæ in testamento scripta sunt. Unde brocardica illa dicteria enata sunt: **Juramentum habet vim clausulæ codicillaris**: &  
Jura-

192  
Juramentum facit rem valere omni meliore modo quo potest.

23. Malè. Quia *l. 77. §. 23. ibi*, cum jurisjurandi religione præstari rogaverat *ff. de leg. 2. & l. 2. ibi*, juramentum interposuerit, & *ibi, ἐνορκῶ* (sic enim legendum est: non divisim, ἐν ὅρκῳ) *C. comm. de legat. ex quibus locis traditio illa Dd. petita est*, non loquuntur de jurejurando, quòd Testator juraverit: sed de adjuratione sive obtestatione religiosâ, quâ heredem Testator rogaverit: quomodo in *l. 3. in pr. ff. de jur. fisci* habetur, vos rogo ut in eo quod à vobis petii fidem præstetis, perq; DEUM ut faciatis rogo. sic in *§. 1. Inst. de fideic. hered.* quia per ipsius (Augusti) salutem rogatus quis diceretur. sic & apud Ciceronem, *lib. 11. epist. ad Att: ep. 2.* per omnes Deos te obtestor. & apud Tertullianum in *lib. de præscript. adversus hereticos cap. 37.* Ego sum heres Apostolorum; sicut caverunt testamento, sicut fideicomiserunt, sicut adjurarunt, ita teneo.

24. Non itaq; juramentum testatoris (activum) sed adjurationem heredis (passivam) vim clausulæ codicillaris habere, sive clausulæ codicillari affinem esse, dicere debebant: si non maluerunt, adjurationem eam inter species subintellectæ clausulæ codicillaris referre: quomodo factum à nobis, *disp. 1. θ. 23. & disp. 3. θ. 18.*

25. Sextò; etiam dilectionem personæ conjunctæ, vel quomodo crebriùs loquuntur Dd, ardorem liciti amoris, vim clausulæ codicillaris habere, adeoq; clausulæ codicillari affinem esse, dicunt: idq; ex *l. 38. ff. de fideicom. libert.*

26. Sed & hoc commodiùs inter species subintellectæ clausulæ codicillaris, sive inter argumenta, quibus colligitur testatorem ea quæ reliquit, etiam jure codicillorum, vel ab intestato, valere voluisse, referri videtur. *d. disp. 1. θ. 23. & d. disp. 3. θ. 19.*

27. Non ita propè ad fines clausulæ codicillaris accedunt, sed longiùs distant, clausulæ illæ; cùm vel in casum deficientis testamenti aliquid aliud fieri jubetur: exemplo *l. 6. in pr. ff. si quis omis. cautest. l. 88. §. 9. ff. de Leg. 2. l. 14. C. de fideicom.* vel fideicommissum pro Institutione, & codicilli præ Testamento esse jubentur *l. 19. in pr. & §. 1. ff. de test. mil.* vel testamentum à milite factum, si jure communi  
valere

valere nequeat, jure militari valere jubetur, *arg. l. 3. ff. de test. mil.* vel deniq; donatio mortiscausâ, si eo modo valere non possit, jure codicillorum effectum sortiri debere cavetur. *Dd. communiter.* Quæ quidem clausulæ, quatenus cum codicillari conveniant, aut ab eâdem discrepent, intelligere non est difficile.

28. Haec de Cognatis sive Affinibus. Videamus jam etiam de Contrariis sive Repugnantibus: hoc est, quibus modis infirmantur (quæ enim ipsam constitutionem impediunt, s̄ in tractatione causarum, Efficientis, Materialis, & Formalis, indicata sunt) Codicilli; atq; etiam ipsa clausula codicillaris.

29. Et quidem quod ad Codicillos ad testamentum factos attinget; hi testamenti illius, ad quod facti sunt, infirmatione infirmantur: ac per consequens iisdem modis infirmantur quibus Testamentum. Ex testamento enim dependent, & jus ejus sequuntur, nec nisi ex eo vires habent. *l. 3. §. 2. l. 16. in fin. ff. de jur. Cod.*

30. Undè rupto testamento per agnationem postumi ipsi quoq; Codicilli ad id testamentum facti rumpuntur, *l. 1. C. de Codicillis* & irrito facto testamento, ipsi quoq; Codicilli ad id pertinentes irriti sunt, sive id fiat per capitis diminutionem, veluti si testator se dedit arrogandum, *arg. l. 8. §. 3. ff. de jur. Cod.* vel ab hostibus captus est. *l. 12. §. 5. ff. de capt. & postlim. revers.* sive per desertionem seu destitutionem testamenti: cum ex eo hereditas non aditur, *l. 3. §. ult. ff. de jur. Codic.* Et olim rescisso per inofficiosi querelam testamento, ipsi quoq; Codicilli ad id testamentum facti perindè rescindebantur. *arg. l. 36. ff. de leg. 3. & l. 13. in fin. ff. de inoff. test.*

31. Quod tamen ad causam inofficiosi testamenti attinet, hodie ex *Nov. 115. c. 3. in fin.* aliud dicendum est: nimirum testamento ex eâ causâ rescisso, non propterea etiam rescindi codicillos ad id testamentum factos, sed ratos manere: eò quòd ex constitutione illâ Justiniani, tantum heredis institutio, quæ Codicillis expediri nequit, vitietur: at libertates, legata, & fideicommissa, quæ Codicillis relinqui possunt, non infirmantur.

32. Codicilli autem ab intestato facti (& quidem in specie qui sine omni testamento facti sunt: de alijs enim qui in testamento per clausulam codicillarem facti sunt, sub extremum hujus disputationis, seorsim dicendum est) infirmantur primò per subsequens

B

quens

quens testamentum: idq; non tantum, cum eo testamento diserte reprobantur: ut *Dd. propè ad unum omnes statuunt*: sed etiam cum illo testamento non aut confirmantur, aut indicio aliquo retinentur: ut evidenter probari arbitramur ex *l. 5. ff. de jur. Cod. & §. 1. in fin. Inst. eod. rit.*

33. Secundò, infirmantur hi Codicilli, Codicillis posterioribus contrarijs. *l. 3. C. de Cod. l. 19. C. de fideicom. l. 5. in fin. ff. de jur. Cod.*

34. Tertiò, infirmantur Codicilli hi, si ei qui Codicillos fecit, aliquid contingat eorum, quo testamenta irrita fieri solent. *arg. l. 8. §. 3. ff. de jur. cod. & l. 3. §. ult. ff. de fideic. libert.* qui tamen, sublata eà causâ ob quam infirmati sunt, reconvalescunt *d. l. 8. §. 3.* idq; tantò faciliùs quàm testamentum: quòd in fideicommissis (quæ sola codicillis ab intestato factis relinqui possunt. *disp. 3. §. 6.*) non subtilitas juris, ut in testamento, sed voluntas testatoris, unicè, aut saltem præcipuè, spectatur *l. penult. ff. de leg. 1. l. 95. ff. de leg. 3. l. 16. C. de fideicom.*

35. Quæ in personâ heredis existunt causæ, ob quas testamentum in irritum constituitur; veluti si heres hereditatem ex eo testamento adire nolit aut non possit. *§. 2. Inst. quib. mod. test. inf. ex non peræquè ad codicillos ab intestato factos accommodari possunt: cum in his nulla res sit præcipua, ex qua ipsi vim accipiant: quomodo in testamento est heredis institutio. §. 34. Inst. de legat. quâ effectum non sortiente, etiam reliqua quæ in eo testamento scripta sunt non valent. l. 81. ff. de leg. 2. l. 73. in fine principij ff. ad leg. falcid. §. 2. in fin. Inst. eod. rit.*

36. Simile tamen quiddam est: cum non is, qui codicillis rogatus, sive qui fideicommissi onere gravatus est, testatori succedit; sed alius, qui rogatus non est. Hoc enim casu irriti fiunt Codicilli. *arg. l. 1 §. penult. ff. de leg. 3. l. 11. l. 13. in pr. l. penult. ibi; non etiam postumus. ff. de jur. Cod. l. 40. in pr. ibi; cum in parte hereditatis fideicommissum non constiterit. ff. de leg. 3. l. 77. §. 26. ff. de leg. 2.*

37. Ex accidenti quoq; ac per consequens, irriti fiunt Codicilli; cum ij, quorum bono Codicilli facti sunt, fideicommissa accipere

accipere nolunt, aut non possunt. Quo casu Codicilli dici possunt sine re esse, ut loquitur Ulpianus *in fragm. t. 28. §. ult.* vel nullam rem habere, ut loquitur Paulus *in l. penult. §. 1. ff. de statutib.*

38. Contrà: non infirmantur Codicilli ab intestato facti, primò, Codicillis posterioribus non contrarijs. Nam & plures Codicillos quis facere potest *l. 6. §. 1. ff. de jur. Cod. §. ult. Inst. de Cod. & arg. thes. 33. §. híc.*

39. Nec exceptio ponenda est in specie *l. 8. §. ult. ff. h. t.* nisi paralogismum accidentis committere velimus. Posteriores enim Codicilli ibi non per se infirmant priores: sed hoc tantum faciunt, ut priores illi non sint novissimi Codicilli; adeòq; nec testamento confirmati; unde postea consequitur, ut Legata in ijs data non valeant: non quia in prioribus, sed quia in non confirmatis, codicillis relicta.

40. Deindè non infirmantur Codicilli ab intestato facti, agnatione postumi: sive is suus heres, sive agnatus proximus sit. *l. 3. §. 1. l. 16. l. pen. ff. de jur. Codic.* Addimus etiam; sive is qui Codicillos fecit, eum postumum sibi nasciturum, aut natum esse, sciverit; sive ignoraverit. Nec enim distinguunt leges: imò nec distinctionem illam admittunt: sicut neq; ad hos Codicillos ab intestato, qui non IN, sed SINE TESTAMENTO facti sunt, pertinent distinctiones illæ Dd. de quibus *in disp. 5. §. 15. & seqq.*

41. Tertiò, ne quidem nudâ voluntate, quibuscunq; verbis declarata, (secus quàm existimant Hugo Donellus, & Fernandus Vasquius) infirmantur Codicilli ab intestato facti. Quemadmodum enim testamentum ex eo solo non potest infirmari, quòd postea id Testator valere noluerit: usq; adeò ut nè quidem imperfecto testamento infirmetur. *§. 7. Inst. quid. mod. test. inf.* ita etiam Codicilli non ex eo solo infirmantur, quòd qui fecit eos postea valere noluerit: usq; adeò ut ne quidem imperfectis Codicillis infirmetur. Ratio enim utrobiquè eadem est. quia scilicet, τὰ ἐνόμως γινόμενα, ἐνόμως ἀνατρέπεται δὲ: quæ secundum leges constituuntur, etiã secundum leges subverti debent. *Theoph. d. §. 7. Harmenop. in Epit. jur. lib. 5. tit. 5. sub rubr. περὶ ἀνομήτως διαδύνας.* quod Dd. ita proponunt; cum eadem solennitate debet fieri revocatio,


B 2 cum

cum quâ facta est collatio. *Fac. l. 35. l. 100. l. 153. ff. de R. J. l. 80. ff. de solut. l. 3. C. comminat. epist. program. subscript. auctoritatem rei iudicate non habere.* Codicillos autem non nudâ voluntate, sed observatione legitimâ adhibitâ, constitui posse ac debere, ostensum est in *disp. 3. 0. 16.*

42. Deniq; Codicilli ab intestato facti non infirmantur aut rescinduntur per querelam inofficiosi. *arg. l. 3. pr. & §. 1. l. 8. §. 1. ff. de jur. Cod. l. 8. §. 9. ff. de inoff. test. maximè post Novell. 115. de quâ suprâ 0. 31.*

43. Ipsa verò Clausula codicillaris (regularis scilicet illa, & communissima: quæ testamentum in Codicillos ab intestato factos convertit: non irregularis & rarissima; quæ Codicillos ad testamentum factos efficit. *disp. 4. 0. 24.*) unico modo infirmari videtur: successione scilicet ex testamento. Id indicat Paulus *l. 16. ff. h. t. cum* inquit: **Quicumq; ab intestato successerit, locum habent Codicilli:** Nam unus casus est. Nec interest qui succedit, dummodò intestato succedat.

44. Erat olim & causa alia; nimirum Rescissio testamenti, cui adjecta fuerat clausula codicillaris, per querelam inofficiosi. *l. 13. in fin. ff. de inoff. test. l. 36. ff. de leg. 3.* sed non digna visa est quæ adderetur (aut à generali enunciato Pauli *in d. l. 16.* exciperetur) quòd eâ non tam infirmari Codicilli rectè facti, quàm declarari non rectè facti, viderentur. *arg. dd. ll. junct. l. 8. §. 4. ff. si servit. vindic. & l. 23. C. de locato & conducto.* Adde *disput. 2. 0. 10.* Hodie tantò minùs addenda illa causa est, ad modos infirmandorum codicillorum: quòd per *d. Novell. 115.* ad solius institutionis expugnationem querela illa proficit.



## C O R O L L A R I A.

I.

**V**IX unquam continget, ut fideicommissum ex conjecturâ voluntatis præstandum sit; nunquam, ut Reus non sit

*sit absolvendus: si brocardicum illud dictum, quo Per negationem adversarij res dubia fieri dicitur, simpliciter & absolute, ut ferè sit, accipiatur.*

## I L.

*Abdicari se à patre propterea, quòd non duceret uxorem quam pater volebat, queritur filius apud Quintilianum declam. 376. abdicandus fortè per aequè si duceret quam volebat pater. Jure tamen Justiniano, filius nec ducendo, nec non ducendo uxorem quam pater velit, vel abdicari, vel exheredari potest; imò nec ducendo quam pater duci nolit.*

## I I I.

*Furtum aliquando non culpa, ejus scil. cui furtum fit, sed casui fortuito annumerandum esse; arguit l. 14. §. 6. ff. de furtis. Id, si Ulpiani tempore justum visum est, nostro seculo debet videri justissimum: cum, & experientia quotidianà teste, & multis eximjs atq; stupendis exemplis comprobante Henrico Stephano, in Introductione tractatus de conformitate veterù & recentium mirabilium, part. 1. cap. 15: ars furandi hodie, & praesertim in Gallià, longè sit subtilior, quàm olim: maxime in sacularijs illis, sive crumenisecis: qui sunt quodammodò prestigiatores: & exquisita species τῶν ἀγαθῶν κλεπτῶν, ut vocantur ab Aristotele lib. 6. Topic. cap. ult.*

## I V.

*Nec ratione caret, quod in Gallià, fures domestici, eorumq; adjutores, etiam ob primum furtum (non quodvis tamen) suspenduntur.*

B 3

Debitore

V.

*Debitore decoquente, Venditor alijs creditoribus, in re  
venditâ extante, jure non prafertur.*

VI.

*Et benè & non benè, ( utcunq; in Benè-dictorum libro, de  
quo l. 2. §. 45. in f. ff. de Orig. Juris, scriptum ) dictum est, ab A.  
Cascellio Maximo; cùm mercatori à societate discedere volen-  
ti, & quemadmodum cum socio navem divideret, quarenti;  
respondit: Navem si dividis, nec tu, nec socius habebitis.*

F I N I S.





303



81



Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17









B.I.G.

Farbkarte #13



33 296



ICIL-  
SULA

ARI,

ma: 1621, 1.

s & Codicillari  
aria sunt.

TATIS,  
TENSIVM

CHII, J.U.  
ECTARUM

ERERO

CAROLI,